



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 131. Quid circa precarium sit addendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

## A D D E N D A.

§ 20 Q. 130. Quid notandum sit præterea circa commodatum. R. Seqq. §. 1. Qui habet jus utendi re commodatâ, potest, per se loquendo, etiam alteri commodare, nisi aliter conventum sit, vel sciretur de contraria mente commodantis, potest enim alteri cedere jus suum.

§ 21 §. 2. Commodatarius tenetur ad sumptus ordinarios circa rem commodatam, v.g. tenetur pascere equum commodatum; item soleis ferreis instruere, si deficient: Ad extraordinarios tamen sumptus non tenetur, v.g. non tenetur ad sumptus pro equo sanando, si ægrotare incipiat pro redimendo, si ab hoste capiatur; quare poterit tum monere dominum, ut sumptus minime stret vel rem recipiat, se enim curam ejus dimittere: si tamen monere non posset dominum, teneretur exponere sumptus, & postea rem detinere, donec refunderentur, *Lugo. d. 8. n. 134.*

§ 22 §. 3. Damnum, quod commodatarius patitur à re commodata, debet compensare commodans, si scivit vitium rei, & prævidit damnum inde secuturum, quod impedire poterat & debebat, uti si equus commodatus fuit morbidus & infecit alios: Si autem nescivit, damnum spectat ad commodatarium.

§ 23 §. 4. Pupillus, Minor, prodigus, non obligantur, si dent commodato absque autoritate Tutorum vel Curatorum, sed possunt repetere ante tempus designatum; si tamen aliquid commodato acceperint, commodans obligatur illis servare tempus.

§ 24 Q. 131. Quid circa precarium sit addendum. R. Seqq.

Seqq. §. 1. Hic contractus dicitur precarium, quia ad preces alterius seu petitionem conceditur omnino gratis sine obligatione relinquendi: qui autem precario dat, non debet sine necessitate statim datum repetere, alioquin videbitur voluisse illudere aut alteri creare damnum, *Abbas & alii.*

§. 2. Precarium revocatur seu finitur, 1. voluntate concedentis expressâ vel tacitâ, uti habet *Busenb.* 2. Morte ejus, cui res est concessa, censetur enim gratia quasi personalis, quæ ad hæredes non transit. 3. Si res fuit absolutè concessa, non finitur morte concedentis, sed si incepit uti, potest pergere, donec hæredes revocent; si autem est concessa cum addito, quamdiu voluero vel placuerit mihi, secundùm *Abb. Mol. Laym.* & alios communiter, finitur morte concedentis, quia tum cessat ejus voluntas & placitum; oppositum tamen tenent *Castrop. Tamb. l. 9. t. 7. c. 7. n. 9. Spor. t. 6. c. 7. n. 161.*, quia in communi modo loquendi hæ formulæ, donec voluero, ad meum placitum, videntur æquivalere his, donec revocavero, quousque non revocavero, atqui solâ morte concedentis non ponitur revocatio, & si concesserit sub clausula, donec revocavero, secundùm omnes non finitur morte concedentis, ergo nec illo priori modo: Sed tenenda est altera sententia, propter dicta l. 1. n. 836.

*Q. 132. Quid addendum sit circa depositum. R. Seqq.* 826

§. 1. Contractus depositi intervenit, si quis in domo alterius ponat aliquid, & dicat, *tibi trado hanc rem in custodiam*, & ipse consentiat sive acceptet, *Mol. t. 2. d. 522. Onn. d. 54. à n. 6. ali-*  
que